

*tulum*, sic reprobavit Regularium abolitionem a conventu Gallico decretam : « Regularium abolitio a conventu nationali decreta, laedit statum publicae « professionis consiliorum evangelicorum. » Existimavit itaque familiarum religiosarum existentiam intime ac necessario cum publica consiliorum evangelicorum professione connexam esse.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE POTESTATE RECTORIBUS ECCLESIAE A CHRISTO ATTRIBUTA ;  
ET PRIMO, DE JURIBUS QUAE ECCLESIAE REGENTI COMPETUNT  
QUATENUS EST SOCIETAS SPIRITUALIS PERFECTA

279. Nunc inquirendum venit de potestate rectoribus Ecclesiae a Christo attributa. Quae consideratio erit tripartita : Primo enim agendum est de juribus quibus divinitus Ecclesia instruitur, quatenus est societas spiritualis perfecta ; secundo de praecipuis officiis quibus societas civilis erga ecclesiasticam adstringitur ; haec quippe officia, quamvis ex praedictis juribus sponte fluant, propter tamen dignitatem materiae necnon temporum improbitatem, speciali attentione tractanda sunt ; tertio dicendum de divina assistentia Ecclesiam in suae potestatis exercitio efficaciter adjuvante.

Dissidentes autem de Ecclesiae juribus prout est societas spiritualis perfecta, nobis ante omnia statuendum est, Ecclesiae revera competere rationem societatis perfectae ; dein exponendum habemus varia jura quae in hac ratione includuntur, et sunt : jus magis-

terii, — jus imperii, sub quo intelligitur triplex potestas legislativa, judiciaria et coactiva, — jus possidendi bona temporalia propria, — denique jus, indirectum saltem, in res temporales societatis civilis. Sint igitur quaestiones novem.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

In quo consistat ratio societatis perfectae, et quinam hanc Ecclesiae competere inficiuntur ?

280. Resp. ad 1. Illa societas dicitur *perfecta*, quae in genere suo nulli aliae subordinatur, ac proinde omnia media, ad proprii sui finis consecutionem et sui conservationem, in seipsa et per se possidet.

Dixi 1<sup>o</sup> *quae in genere suo nulli subordinatur*. Potest enim esse perfecta, quamvis alteri subordinetur, sed in alio genere. Sic societas civilis, ut infra dicetur, subordinatur Ecclesiae, et tamen non desinit esse perfecta. Finis quippe societatis civilis, seu temporalis felicitas, subordinatur fini Ecclesiae, sed in alio genere boni, quod est salus aeterna. Unde, quoties id exigit finis Ecclesiae, huic subordinatur societas civilis ; sed remanendo intra finem felicitatis temporalis, ubi nempe non urget ratio salutis aeternae, societas civilis propriam independentiam servat.

Dixi 2<sup>o</sup> *omnia media, ad proprii sui finis consecutionem et sui conservationem, in se et per se possidet*, id est : ea adjumenta sibi necessaria non habet dependenter ab alia societate ; secus enim huic subordinaretur. At notandum est hujusmodi adjumenta dupliciter possideri posse : in re, aut virtualiter. Possidentur *in re*, quando nullo modo repeti debent ab alia societate. Possidentur *virtualiter*, quando repeti

debent ab alia, sed absque dependentia; ubi, scilicet, societas jus habet ea exigendi, et alia societas a qua exiguntur, neque potest ea denegare, neque dirimere litem de obligatione ea praestandi. Sic nonnulla adjumenta Ecclesia repetit a societate civili, et tamen ei nullatenus subordinatur, ac proinde remanet *perfecta societas*.

281. Resp. ad 2. Ecclesiam habere rationem societatis perfectae negant, ut diximus, ii omnes qui summam jurium pontificiorum et episcopalium in principes saeculares transferunt.

Quidam insuper, non eo usque progressi sunt, sed principum potestatem ad res sacras externas coactant, ipsis tribuendo jus protegendi, jus cavendi, jus inspiciendi, et jus subveniendi. *Jus protegendi*, eo quod velint eos esse canonum protectores, quibus incumbit officium disciplinam ecclesiasticam in suo regno receptam defendendi, contra decreta eam violentia aut mutantia; *jus cavendi* ne civitas ex negotiis Ecclesiae detrimentum capiat, et publica tranquillitas turbetur; *jus inspiciendi* relationes quibus fideles et episcopi cum Romano Pontifice communicant; *jus demum subveniendi* his civibus, quos potestatis ecclesiasticae abusus aliquando laederet.

Ita sentiunt qui dicuntur Regalistae, seu Parlamentarii; nec mirum si, praedictis principiis inhaerendo, principibus attribuant jura totam fere jurisdictionem ecclesiasticam perimentia. Juxta eos, nimirum, possunt principes expendere an canones infracti fuerint, infractores punire, et per leges suas providere ne infringantur; possunt etiam determinare loca congregandorum conciliorum, numerum episcoporum qui

convenire debent, necnon materias tractandas; possunt insuper ordines religiosos, pro libitu suo, excipere aut proscribere, liturgiae adoptionem imponere, aut illius mutationem prohibere; possunt tempus visitationis dioecesanae praefinire, statuta episcoporum pro seminariorum regimine examinare, aetatem pro recipiendis ordinibus assignare, appellationes contra episcopos suscipere, placito suo munire leges ecclesiasticas, priusquam promulgentur, etc... Quinimo, quoties de rebus sacris exterioribus Ecclesia aliquid statuerit, volunt ad principem pertinere ut judicet an limites suae potestatis excesserit, et, in casu conflictus inter legem principis et legem Ecclesiae circa eandem materiam, praevalere auctoritatem civilem.

Gallicanismi moderati defensores hos errores mitigarunt; et quamvis asserant principem intervenire posse in quaestionibus ecclesiasticis interesse temporale aliquo modo attingentibus, ubi tamen utriusque auctoritatis ordinationes inter se pugnant, dicunt neutram cedere teneri. Tunc vero, vel Deus ipse providebit, ut affirmat Bossuetius; vel, ut alii volunt, uniuscujusque conscientiae solutio remittitur, id est: pensatis utrinque rationibus, huic potestati parendum erit cujus rationes videbuntur potiores.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

##### Utrum Ecclesia sit societas perfecta?

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 551... 564. — Hurter: *Theol. gen.*, n. 311, 312. — Perriot: *de Eccl.*, p. 466... 470.)

282. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1° Societas perfecta deberet auctoritatem suam exercere in territorio sibi proprio, seu independenti ab omni alterius societatis potestate. Atqui Ecclesia non habet hujusmodi territorium, quia quocumque suam exercent auctoritatem, versatur in territorio quod alicui principi temporali subicitur.

2° Praeterea, si in eodem territorio duplex perfecta societas principetur, necesse est innumeros dari inter utramque conflictus; talis igitur ordinatio a Christo non procedit.

3° Praeterea, potestas ecclesiastica, cum sit spiritualis, de solis rebus spiritualibus curat; potestas autem principum versatur circa res temporales, et in hoc ordine est completa et independens. Ergo quidquid in Ecclesia corporale et temporale reperitur, est de foro principis temporalis, et quidem complete et independentem ab Ecclesia.

4° Praeterea, est axioma receptum: Status in Statu repugnat. Sed dato Ecclesiam esse societatem perfectam, aderit Status in Statu. Ergo.

283. Sed contra dico: *Ecclesia, ex divina institutione, est societas perfecta.*

Prob. 1° *Ex jam stabilitis.* Si Ecclesia aliquatenus penderet ab auctoritate civili, dicendum esset principibus aliquam convenire auctoritatem supra res ecclesiasticas. Atqui illud supra exclusum est n. 264... 267.

Prob. 2° *Ex verbis Christi.* Christus enim collegio Apostolorum, et speciatim B. Petro, tantam contulit ligandi atque solvendi facultatem, ut quaecumque per eam in terris ligata et soluta fuerint, in coelis pariter sint soluta et ligata. Atqui talis potestas certe

per nullam aliam potestatem humanam est impediibilis; est igitur in suo ordine completa et independens, et societas cujus rectores ea potiuntur est societas perfecta.

Prob. 3° *Ex fide Ecclesiae.* Ecclesia jus existendi, quod a Christo institutore immediate acceperat, nunquam a principibus temporalibus emendicavit; quinimo, diu floruit invita et contradicente potestate saeculari. Suae auctoritatis exercitium cohibere volentibus constanter respondit cum Apostolis: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus* (Act., v, 29). Nunquam passa est principes quidquam statuere circa res sacras, etiam exteriores, nisi de ejus consensu et delegatione, ut auctoritas civilis ecclesiasticae praesidium afferret; et ideo allegata a Regalisticis jura protegendi, cavendi, inspiciendi, et subveniendi vel repulit, vel alio prorsus modo intellexit. Uno verbo, Ecclesia Romana semper locuta est atque se gessit, veluti societas independens et in suo ordine perfecta. Ergo, cum sit indefectibilis, in hoc certe non erravit.

Prob. 4° *Ex recentioribus definitionibus.* Fidem Ecclesiae Romanae luculenter patefaciunt recentiores declarationes Pii VI, Pii IX et Leonis XIII.

1° Pius VI, in litteris Apostolicis quibus damnat Constitutionem civilem cleri Gallicani, sic loquitur: « Nemini qui Catholicus est ignotum esse potest, « Christum dedisse Apostolis eorumque successoribus « potestatem nulli alii potestati obnoxiam. »

2° Pius IX, in Syllabo, sequentes damnavit propositiones: « Ecclesia non est vera perfecta que societas « plane libera. » (Prop. xix.) « Ecclesiastica potestas

« suam auctoritatem exercere non debet absque  
« civilis gubernii venia et assensu. » (Prop. xx.) « In  
« conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prae-  
« valet. » (Prop. XLII.) « Civilis auctoritas potest se  
« immiscere rebus, quae ad religionem, mores et  
« regimen spirituale pertinent. » (Prop. XLIV.)

3<sup>o</sup> Leo XIII, in sua Encycl. *Immortale Dei*, edita  
die 1 Nov. 1885, sic se habet de Ecclesia : « Quod  
« plurimum interest, societas est genere et jure per-  
« fecta, cum adjuncta ad incolumitatem actionemque  
« suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris  
« sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis  
« quo tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita ejus  
« potestas est omnium praestantissima, neque imperio  
« civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo  
« modo obnoxia... Quidquid igitur est in rebus hu-  
« manis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem  
« animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit  
« natura sua, sive rursus tale intelligatur propter  
« causam ad quam refertur, id est omne in potestate  
« arbitrioque Ecclesiae. »

Prob. 5<sup>o</sup> *ex ratione*. Societas habens finem sibi ex-  
clusive proprium, non potest in ejus prosecutione  
pendere ab alia societate habente finem omnino di-  
versum, a fortiori habente finem fini alterius omnino  
subordinatum. Atqui societates civiles habent pro fine  
felicitatem temporalem, qui finis a fine societatis ec-  
clesiasticae prorsus differt, imo illi subordinatur ;  
omnia enim subordinantur aeternae saluti qui est ul-  
timus vitae humanae finis. Ergo Ecclesia in proprii  
sui finis prosecutione a nulla alia societate pendet, ac  
proinde est societas perfecta.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur  
n. 282.

284. *Ad 1.* Ecclesia habet territorium proprium quod  
est universus orbis, cum sit societas de jure catholica.  
Porro non repugnat idem territorium subjici Ecclesiae  
in ordine ad procurandam hominum sanctificationem  
ac salutem, et simul principi alicui temporali, in or-  
dine ad procurandam civibus felicitatem temporalem.

285. *Ad 2.* Conflictus inter Ecclesiam et civitatem  
oriri non possunt quoad negotia temporalia, pro qui-  
bus ordinandis societas civilis propriam servat inde-  
pendentiam, sed tantum pro rebus mixtis quae, sub  
diversis respectibus, referuntur, et ad finem societatis  
civilis, et ad finem societatis ecclesiasticae. Jam vero,  
quoad res hujusmodi, dato conflictu, potestas civilis  
ecclesiasticae cedat necesse est, quia est inferioris or-  
dinis. Ad Ecclesiam autem spectat judicare an res  
spectet finem suum. Ergo nullus, ex natura rei, oriri  
potest conflictus, sed tantum culpa hominum, et tunc  
semper praesto aderit remedium. Quibus adde Eccle-  
siam, utpote assistentia divina indefectibilem, nunquam  
jura aliena invasuram esse.

286. *Ad 3.* Ecclesia non dicitur societas spiritualis  
ratione mediorum quibus utitur, aut subjectorum qui-  
bus praeest, aut actuum quos regulat, quasi nonnisi  
media invisibilia adhiberet, aut solis animabus domi-  
naretur, aut solos actus internos dirigeret; sed ratione  
finis ad quem tendit. Porro media ad hunc finem ad-  
hibenda, sunt etiam res visibiles; homines quos guber-  
nat constant anima et corpore, actus quos ordinat  
sunt etiam actus exteriores. Ergo immerito asseritur  
quidquid in Ecclesia externum et corporale reperitur,

de foro esse principis temporalis. De caetero, nullum est fere punctum disciplinae ecclesiasticae, quod statum temporalem aliquo modo non attingat; imo ipsaemet definitiones dogmaticae necessario signis sensibilibus proferuntur, et natae sunt generare circa fidem dissensiones quibus pax publica perturbatur. Ergo si ratio adversariorum prematur, auctoritas principis se extendet ad omnia quae sunt de foro Ecclesiae. Dicendum igitur Ecclesiam posse statuere de rebus etiam exterioribus, ubi id exigit finis proprii assecutio.

287. *Ad 4.* Non repugnat existere Statum in Statu, dummodo unusquisque Status habeat finem proprium diversum a fine alterius et cum eo compossibilem; a fortiori si finis unius fini alterius subordinetur; quo in ultimo casu, nedum duo illi Status inter se pugnent, sibi e contra mutuum praestant auxilium.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

An et quatenus Ecclesiae, ut est societas perfecta, tribuenda sit potestas magisterii?

(Vide Perriot : *de Eccl.*, p. 266... 377.)

288. Resp. Praemittendum est quid et quotuplex sit magisterium.

Magisterium duobus modis accipitur, nempe : 1<sup>o</sup> pro potestate docendi, et definitur : *Illud ecclesiasticae potestatis munus, quo Ecclesia constituitur ad homines erudiendos in ordine ad aeternam salutem*; 2<sup>o</sup> pro illius potestatis exercitio; et duplex est : extraordinarium et ordinarium. *Extraordinarium*, seu solemne magisterium, illud est quo pastores Ecclesiae, adhibita solemnitate iudicii vel definitionis,

docent aliquid esse credendum. *Ordinarium* vero illud est quo, per quotidianum verbi oralis aut scripti usum, pastores Ecclesiae ovibus suis doctrinam credendam tradunt. Sic quotidie, consentientibus episcopis, sacerdotes qui curam habent animarum, item magistri scientiae sacrae in scholis, veritates christianas docent et explanant; et ubi aliqua doctrina sic communiter tanquam necessario credenda proponitur, merito tribuitur Ecclesiae magisterio ordinario, de cuius infallibilitate infra dicendum erit.

Utriusque magisterii distinctionem supponit Conc. Vatic. *Constit. Dei Filius*, c. 3 : « Porro fide divina « et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo « Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, « sive solemniter iudicio, sive ordinario et universali « magisterio, tanquam divinitus revelata propo- « nuntur. »

289. His praelibatis, dico 1<sup>o</sup> : *Ecclesiae competit jus magisterii infallibilis.*

Id satis ostensum est supra, ubi de magisterii infallibilis per Christum institutione. Quod jus plane vindicat Leo XIII, in Encyclica *Libertas*, dicens : « In « fide atque in institutione morum, divini magisterii « Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eandemque « divino ejus beneficio falli nesciam; quare magistra « mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest « non violabile jus ad magisterii libertatem. »

Et id aperte sequitur ex natura potestatis spiritualis, qua complete Ecclesia instruitur ad aeternam hominum salutem procurandam; nec enim homines salvantur nisi credant, nec, de Providentia saltem ordinaria,

credunt nisi audierint. Jus itaque magisterii non ex hominum, sed ex Christi concessione profluit, nec ab hominibus restringi potest.

290. Dico 2<sup>o</sup> : *Ecclesia plenum et exclusivum magisterium habet, pro omnibus veritatibus quae traduntur propter formalem aut virtuales revelationem credendae.*

De illis praecise agitur in textu : *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Atqui ille textus ad solos Apostolos eorumque successores dirigitur. Ergo, ut quis possit praedictas veritates ex officio docere, seu, cum ea auctoritate quae magistro competit supra discipulos, requiritur licentia auctoritatis ecclesiasticae. Insuper, Ecclesia jus habet cuiusque interdicendi ne, etiam tanquam privatus, doctrinam sacram scripto aut viva voce tradat, vel propugnet. Haec enim omnia defluunt ex pleni et exclusivi magisterii conceptu.

Hinc merito Pius IX, in Syllabo, sequentes damnavit propositiones : « Non pertinet unice ad ecclesiasticam « jurisdictionis potestatem, proprio ac nativo jure, « dirigere theologiarum rerum doctrinam. » (Prop. xxxiii) : « In ipsis clericorum seminariis, methodus « studiorum adhibenda civili auctoritati subijcitur. » (Prop. xlvi.)

291. Dico 3<sup>o</sup> : *Ad Ecclesiam non pertinet jus exclusivum veritates per media naturalia tradendi et explanandi; sed potest et debet invigilare, ne fidei aut morum integritati scientiae afferant praejudicium.*

Prima pars patet, quia unusquisque a natura habet ut veritates captum rationis naturalis non superantes

caeteros edoceat, considerationibus et argumentis ex sola ratione depromptis, nec juris illius exercitium Christus Ecclesiae reservavit.

Secunda pars exinde constat, quod, secus, Ecclesia non poterit satis hominum saluti prospicere.

De caetero, haec vigilantia plurimum philosophiae et scientiarum progressibus confert. Nam, ex una parte, Ecclesia, ut ait conc. Vatic. (Constit. de Fide), non vetat ne hujusmodi disciplinae, in suo quaque ambitu, propriis utantur principiis et propria methodo; ex altera autem parte, ut dicitur ibidem, iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando, errores in se suscipiat, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei occupent et perturbent.

Et revera (conc. Vatic. ib.), etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare se ipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere. Et ideo, ubi doctrina sacra videtur cum rationis humanae placitis contradicere, id « inde potissimum « oritur quod, vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, aut opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. » Patet igitur, dato de quo supra apparente conflictu, utilissimum esse Ecclesiae infallibile magisterium, quia, vel corrigit errorem male intelligentis et explanantis dogmata, vel ostendit rationis placita his repugnantia esse erronea; sed nihil rationi magis proficuum quam ab errore praeservari.

Itaque, ad Ecclesiam spectat proscribere omnes errores veritatibus christianis contrarios in disciplinis humanis quibuscumque. Sic definitum est in conc. Vatic. (Sess. 3, cap. 4, can. 2): « Si quis dixerit « disciplinas humanas ea cum libertate tractandas « esse, ut earum assertiones, etsi revelatae doctrinae « adversentur, tanquam veræ retineri, neque ab « Ecclesia proscribi possint; anathema sit. »

Tales sunt errores in religione naturali; item in scientiis physicis, quoties aliquo nexu cum verbo divino copulentur; item in veritatibus philosophicis fidei praeambulis, uti de certitudinis criterio, de valore auctoritatis, etc., etc.

Merito itaque proscriptae fuerunt in Syllabo Pii IX propositiones sequentes: « Philosophia neque potest « neque debet ulli sese submittere auctoritati. » (Prop. x.) « Ecclesia non solum non debet in philo- « sophiam unquam animadvertere, verum etiam « debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique « relinquere ut ipsa se corrigat. » (Prop. xi.) « Phi- « losophicarum rerum, morumque scientia, itemque « civiles leges possunt et debent a divina et ecclesias- « tica auctoritate declinare. » (Prop. LVII.)

#### QUAESTIO IV<sup>a</sup>

An et quatenus, praedicando et iudicando, Ecclesia magisterium exerceat?

292. Resp. Triplici potissimum modo exercetur Ecclesiae magisterium: sentiis doctrinalibus, praedicatione verbi, et scholis. Primus modus spectat magisterium extraordinarium, duo posteriores ordina-

rium. Nunc agimus tantum de exercitio magisterii per sententias doctrinales et verbi praedicationem. De scholis enim, propter gravitatem materiae tantopere his diebus agitatae, separatim disserendum est.

#### 293. I. De sentiis doctrinalibus.

1<sup>o</sup> Sententia doctrinalis fertur aut explicite, aut implicite. Sententia doctrinalis, seu definitio *explicita*, ea est quae fit ex directa docendi intentione, id est, per formale potestatis magisterii exercitium, v. g. publicando bullam dogmaticam. Definitio *implicita*, fit per actum alterius potestatis, puta legiferae aut iudiciariae, sed qui finem suum non potest obtinere, nisi fideles ad aliquid credendum obligentur; sic, v. g. quotiescumque Papa aut Ecclesia universis fidelibus aliquid agendum praescribit, *implicite* docet, in actu praescripto nihil esse fidei aut bonis moribus contrarium.

2<sup>o</sup> Sententia doctrinalis explicita ferri potest aut positive, aut negative. Juxta priorem modum, enuntiatur veritas credenda; juxta posteriorem, damnatur aliqua propositio, aut aliquis liber.

Aliquoties haec damnatio fit per decretum simpliciter disciplinare quo, nihil iudicans circa veritatem aut falsitatem propositionis, Ecclesia praecipit ab ejus usu abstinere, propter periculum ne male accipiatur, et sensum falsum mentibus obtrudat.

3<sup>o</sup> Ubi autem, ut frequentius accidit, damnatio fit per decretum proprie doctrinale, duplex forma adhiberi potest: una qua alicujus propositionis aut libri doctrina reprobatur, nec indicatur species aut gradus falsitatis; alia qua doctrina reprobata accipit qualificationem. Illa qualificatio indicans speciale vitium, quo

propositio aut liber laborat et repugnat cum fide vel bonis moribus, dicitur *censura* seu *nota theologica*.

Censurarum autem applicatio pluribus simul propositionibus fit, aut *in particulari*, aut *in globo* : in particulari, quando unicuique propositioni sua nota aut suae notae inuruntur; in globo, quando omnes damnantur sub pluribus *respective* notis, nec dicitur qualem notam aut quales notas unaquaeque incurrat. In quo ultimo casu, duo asseruntur, nempe : 1° nullam esse notam inter expressas, quae non cadat in aliquam e propositionibus damnatis; 2° nullam esse ex his propositionibus quae unam saltem ex notis expressis non mereatur.

Jam vero, posito jure magisterii divinitus tradito, evidentissimum est Ecclesiam habere facultatem sententias doctrinales proferendi quocumque modo, prout magis utile et opportunum judicaverit; Christus enim concedendo jus, non determinavit modum quo exerceri debeat.

#### 294. II. De praedicatione verbi.

Ecclesia verbi praedicatione magisterium suum exercet : 1° missionarios ubique terrarum mittendo, a quibus Evangelium magis ac magis propagetur; 2° instituendo divini verbi praecones, qui fideles aut concionibus aut catechismis doctrinam sacram edoceant; 3° providendo ut edantur, servatis cautionibus ab ea bene visis, libri circa religionem, sive ad demonstranda aut explananda dogmata, sive ad confutandos errores fidei vel bonis moribus contrarios.

Quae omnia jura evidenter includuntur in Christi verbis : *Docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi*

*vobis... Praedicate Evangelium omni creaturae.* Mandat itaque Christus Apostolis eorumque successoribus, ut nondum baptizatos, cujuscumque sint gentis, evangelizent; et ut omnes baptizatos, cujuscumque sint conditionis, edoceant servare ipsius mandata. Duplex vero illud officium impletur ordinarie, et praedicatione verbi et librorum evulgatione. Quia autem tale officium immediate a Christo Ecclesia acceperit, in hoc exercendo nulli humanae potestati subjicitur, sed, e contra, omnes etiam principes huic se submittere tenentur, cum et ipsos Ecclesia edocere debeat.

#### QUAESTIO V<sup>a</sup>

An et quatenus Ecclesia scholarum ope magisterium suum exercent?

(Vide D. Benoit : *les Erreurs modernes*, t. I., p. 101... 127. — Card. Zigliara : *Summa philosophica*, t. III., *Phil. mor.*, pars 2<sup>a</sup>, *Jus naturae*, lib. 2. c. 3. art. v. n. 5... 10; et cap. 4. art. 3 n. 5.)

295. Resp. Hodierni increduli, cum velint Statum civilem nullam omnino profiteri religionem, concludunt in scholis ab auctoritate publica temporali constitutis, tradendam esse alumnis institutionem quam *laicalem* vocant, seu, in qua nulla Dei et religionis mentio habeatur.

Ut autem ope hujusmodi scholarum laicalium, venenum Naturalismi ac Rationalismi nascentibus generationibus abunde propinetur, tria reclamant : 1° monopolia universitaria, vi quorum solae scholae ab auctoritate civili erectae a juvenibus frequentari